



# The Holy See

---

FRANCISCUS

***EPISTULA DATA***

***ANTONIO AUGUSTO S.R.E. CARD. DOS SANTOS MARTO***

*Venerabili Fratri Nostro*

*ANTONIO AUGUSTO S.R.E. Card. DOS SANTOS MARTO*

*Episcopo emerito Leiriensi – Fatimensi*

Cum exultatione et simplicitate cordis in fractione panis communicemus et orationibus (cfr Act 2, 46), in doctrina Apostolorum perseverantes, ut, quo venerabili mysterio enutriti, humanum genus, quod continet orbis unus, una fides illuminet et caritas coniungat una (cfr Missale Romanum, praefatio II de SS.ma Eucharistia), et, qui Christi humanam redemptionem in sacramentorum signis annuntiamus fidenter, eiusdem salutis experiri valeamus augmentum.

Quo in Deo sustentati redemptionis pignore, in universae Ecclesiae necessitatum studium incumbentes, valde laetamur de XVIII Congressu Eucharistico Nationali a die XI ad diem XV mensis Novembris in Brasilia celebrando, postquam in biennium angustiarum publicae salutis causa delatus est. Tantam proinde recolentes occasionem, Venerabilis Fratris Antonii Ferdinandi Saburido, O.S.B., Archiepiscopi Metropolitae Olindensis et Recifensis, humanissimae petitioni libenter concedere volumus, qui enixe postulavit, ut haec adunatio perfui possit praesentia ac verbo alicuius Eminentissimi Viri, qui Nostras vices ibi gerat Nostramque erga conventam communitatem manifestet dilectionem.

Ad Te ergo, Venerabilis Frater Noster, mentem Nostram convertimus, qui historicas necessitudines tempore primae evangelizationis Brasiliae et adiuncta culturalia et socialia admodum comperis, ut hodie peraptus videaris, qui, Nostras vices ibi gerens, erga dilectissimum istum concursum proximitatem Nostram manifestes, praesentia ac verbo Tuo hunc Coetum exornans. Te, proinde, ad hanc

legationem obeundam elegimus et, hisce Litteris, MISSUM EXTRAORDINARIUM Nostrum nominamus ad XVIII Congressum Eucharisticum Nationalem Brasiliae, qui inter dies XI et XV

mensis Novembris proxime venturi in civitatibus Olindensi et Recifensi celebrabitur.

Libenter Tibi potestatem facimus, dum insigni eidem occasione intereris, illum Coetum, publicas auctoritates atque universos christifideles Nostro nomine salutandi ac benedicendi, quos cohorteris, ut, beata Virgine Maria pacis Principis Matre spiritum caritatis et donum unitatis dispensante, omnes ad Christum pervenire valeamus et, eiusdem consummantes paecepta, qui unanimiter frangimus panem et sumimus cibum, simus etiam pariter, dividentes prout unicuique opus est (cfr Act 2, 45-46). Simul, insuper, gravissimum Nostrum ministerium Petrinum precibus committimus universo Coetui ibi congregato.

Dum Tibi, Venerabilis Frater Noster, Benedictionem impertimur omnibus, qui celebrationi aderunt, transmittendam, legationem Tuam ardentibus precibus comitamus, a Deo misericordiae suppliciter obsecrantes, ut de huius Conventus navitate multiplices fructus carpant fideles.

*Datum Romae, Laterani, die VII mensis Novembris, anno Domini MMXXII, Pontificatus Nostri decimo.*

FRANCISCUS